MEISNE
TOI

PIEN-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0001-2

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witteb.
pro mat. 12. g.
pro ligat. 4. g.
M. Johan: Zeisold.
Ao. 1625.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0002-8

CHRISTOLOGIAS
SACRÆ
*Diſputatio Quadrageſima Sexta.*

DE

# STATU CHRISTI EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS,

*Quam*

Annuente Θεανθρώπῳ

*SUB PRÆSIDIO*

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theolog. D. & P.P.

*In Collegio privato ad diſputandum proponit*

M. ARNOLDUS STOLTERFOT,
Lubecenſis.

*Habebitur ad diem 23. April. horis pomeridianis.*

In Auditorio minori.

*VVITTEBERGÆ,*
JOHANNES GORMAN, Excudebat
*Anno* CIƆ IƆ CXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0003-4

Σὺν Θεῷ.

# Continuatio.

R*Ectiſsime B. Auguſtinus*: Non ſolum, *inquit*, Verbi verba nobis ſunt documenta, ſed etiam verbi facta nobis ſunt exempla: *Nimirum* Omnia nos Chriſti vita docere poteſt: *Cui rei ipſe* Servator *fidem facit*, *(a)* & *ſuo confirmant calculo* Apoſtoli, Paulus (*b*) & Petrus (*c*) *Quæ omnia calcar nobis addunt, ut magis magisq; in vitam Servatoris noſtri inquiramus: quod cum hactenus, aliquot diſquiſitionibus factum ſit, placet nunc Coronidis loco compendium facere omnium illorum, quæ de toto totius vitæ Chriſti curriculo extant, illaq; ſtatibus duobus hactenus in Theologorum ſcholis uſu receptis*, σολλύβδην *includere, quorum* STATUS EXINANITIONIS *ſeu* IGNOMINIÆ *alter* STATUS EXALTATIONIS *ſeu* GLORIÆ *dicitur, in V.T. adumbratis per* Moyſen (*d*) Joſephum (*e*) Zachariam (*f*) *Atteſtante* Tertulliano (*g*) *Rhetores imitaturi, qui, quæ fuse & ſparſim in oratione ſua dixerant,* Concluſioni, *ſeu Breviario breviter includunt; imo ipſum Apoſtolum, qui miro artificio duos illos ſtatus Aphoriſmo nobili & claſsico* Philip. 2. v. 6. & ſeqq. *incluſos*

(*a*) Matt. 11. v. 29. c. 20. v. 28. Ioh. 13. v. 15.
(*b*) 2. Cor. 8. v. 9. Eph. 4. v. 32. c. 5. v. 23. Phil. 2. v. 5. 1. Tim. 6. v. 13. 2. Tim. 2. 8. Hebr. 3. v. 1. c. 12. v. 2.
(*c*) 1. Pet. 2. v. 21.
(*d*) Exod. 3.
(*e*) Gen. 41.
(*f*) Zach. 3.
(*g*) adverſos Iudæos: c. 14. p. 148.

exhibet, quo, tanquam ſtatuum horum ſede propria & primaria, præeunte & prælucente, diſquiſitionis noſtræ tria conſtituimus membra; 1. Continebit ſtatum Exinanitionis. 2. Statum Exaltationis. 3. Praxin ſubjunget: *Adeſto vero Chriſte ex alto, qui exaltatus dona pro hominibus accepiſti, dona nos donis Spiritus S. quo nomen tuum hac vice à nobis exaltetur.*

Pſa. 68. v. 19

De Primo.

I. *Diſtinctè in hoc membro, cui ſtatus Exinanitionis Chriſti adumbrationem deſtinavimus, ut procedamus,* 1. Exinanitionis ſubjectū. 2. Exinanitionem ipſam paucis videbimus.

II SUBIECTUM, *ſtylo Apoſtolico,* Jeſus Chriſtus eſt, λόγος *non incarnandus, ſed Incarnatus; nec tamen juxta divinam, neq; utramq; ſed ſolam humanam naturam, juxta quam* IN FORMA *Dei exiſtit.*

III. *Non poſſumus ergo facere cum* Calvinianis, *qui de* λόγω *ante incarnationem conſiderato, & qua ſimpliciter Deus eſt, Exinanitionem hanc explicant, vide* Bezam (*a*) Junium & Tremellium (*b*) Sadeelem (*c*) Anonymum *contra thronum* Regalem *Schröderi* (*d*) *vel Chriſtum ſecundum utramq; naturam tâm Exinanitum quàm Exaltatum blaterant;* Sohnius (*e*) *Martinius contra Menzerum.*

(*a*) in not. ad N. T. Phil. 2. Reſp. ad Coll. Mompel. p. 96. 97. (*b*) in bibl. Phil. 2. (*c*) de Verit. hum. nat. c. 4. lo. 2. p. 205. (*d*) cap. 12. p. 142. (*e*) in Exeg. p. 246.

IV. Introducitur enim hoc modo plenis velis Photinianiſmus, dum Chriſtus

ſecun-

ſecundum divinam naturam per Exina-
nitionem illam aliquando patre ſuo mi-
nor redditur *Vide* D. Graw. Jn gründlicher
Widerlegunge Petri Freyen *p. 46. & ſeqq.*
*Deinde* textui Apoſtolico manifeſta vis per
hujuſmodi detorſiones Calviniſticas in-
fertur, *id quod accuratiori pupilla eum inſpici-
enti manifeſtum fiet; & argumentis evicit A-
chilleis* B. Hunnius *Comm: in Epiſt. Philip. p.
mihi 67. & ſeqq.* Hutt. *in L.C. p. 288.* Luc: O-
ſiander. *in not. bib. Ph. 2. p. m. 555.* confer *Hebr.
2. v. 9. Pſ. 8. v. 6. & quæ habet* D. *Chem: tom. 1. loc.
Com. p. m. 172 Geſn. ſuper. Pſ. 8.*

*V.* Nec *eſt, ut* Patrum autoritate *ſe mu-
niant adverſarij, quos humiliationē divinæ Na-
turæ tribuiſſe conſtat; diſtinguimus enim* inter
miſerationis inclinationem, & evacuati-
onem ſeu Exinanitionem, *quarum hæc
tantum diſtat ab illa, quantum Deus à muta-
tione Pſalm. 102. v. 27. Quam importat Exina-
nitio.*

*VI.* De *ſubjecto certi* Exinanitionem i-
pſam *aggredimur, quam in* duobus *ex dicto
Apoſtolico conſiſtere pateſcit:* 1 In Glorię Di-
vinæ Evacuatione. 2. Humillima in for-
ma ſervi ſubjectione.

VII. κένωσις, ſeu divinæ majeſtatis eva-
cuatio *eſt qua Chriſtus, qui in primo Incarna-
tionis momento, ſecundū aſſumptā humanita-
tē, univerſa divinæ majeſtatis plenitudine verè
& realiter inunctus fuerat (Pſ. 45. v. 8. Eſ. 11. v. 2.* Dā. 9. v. 24.

 Actor.

*Act 10, v. 38.) non rapinam duxit eſſe ἶσα Θεῷ (æqualiter Deo) ſed, quò opus redemptionis, propter quod in mundum venerat, perficeret, ſpontè ſe communicata illa Majeſtate evacuavit, non quidem κτητικῶς, ſed ἐνεργητικῶς, non quoad κτῆσιν ſed χρῆσιν, non* actu, *ut loquuntur* primo, *ſed* ſecundo; *pro ut veneranda antiquitas exemplo* ſolis nube obducti, *&* *neoterici* Regis minorēnis *id declarare ſolet.*

Nazianzenus tom. 2. tract. de fide fol. 134.

IIX. *Abſurdam hinc apparet Zanchij eſſe ſententiam (a) quam approbat Beza (b) & Toſſanus (c) quæ Exinanitionis Christi eam fingit rationem, qua ὁ λόγος omni ἐξουσίᾳ, quã ante Incarnationem habuit, in Patris manu depoſita, per Incarnationem ſe exuerit, ita quidem, ut ei ſecundum Deitatem depoſita poteſtas poſt reſurrectionem reddenda fuerit, ideoq; nec poteſtatem illam, quippe depoſitam cũ humana natura in ſtatu Exinationis communicare potuerit.*

(a) Tom. 2. l. 2. de Nat. c. 6.
(b) in conſpicil. cont. demonſt, Hoff. p. 82.
(c) in Apol. pro not. Bibl. cont. VVinckel loco 11.

IX. *Quorſum enim Chriſtus ſe cum patre SEMPER operari diceret. Ioh. 5. v. 17? Quorſum radios communicatæ Majeſtatis, in ſtatu exinanitionis nonnunquam exeruiſſet. Iohan. 2. v. 11? Quorſum ὁ λόγος miracula ἐν σαρκὶ διὰ σαρκὸς, (Athanaſij eſt formula) μετὰ σαρκὸς edidiſſet? Vide Chemnitium lib. de duabus nat. in Chriſto. c. 33, p. m. 549.*

X. *Alterum quod Exinationem conſtituit membrum ταπείνωσις poteſt vocari,* ſeu humili-

milima in forma ſervi ſubjectio *ubi duo conſideranda veniunt.* 1. SERVILIS FORMÆ ASSUMTIO. 2. HUMILIS AD MORTEM SUBIECTIO.

XI. Aſſumta illa ſervilis forma, *non eſt ipſa humana natura, illam enim in ſtatu* Gloriæ *depoſuit, hanc retinuit, ſed, interprete Eſaia c.53.* naturæ humanæ ſervilis plane ſtatus & conditio, *explicante Epiſt. ad Hebr. c.2.v.17.& 5.v.2.* Defectus & Affectus noſtræ infirmitatis, excepto tamen peccato, ſpontanea ſuſceptio: *quorſum flecto, quod Pſalm. 8: v. 5. Chriſtus non* אִישׁ *ſed* אֱנוֹשׁ *dicitur.*

XII. Eluceſſit ſervilis hæc forma & conditio ſtatim in Chriſti *in hanc vitam* INGRESSU *magis in* PROGRESSU, *maxime vero in* EGRESSU.

XIII. *Poterat enim homo fieri ſine in utero Virginis conceptione & geſtatione, pro ut Adamus primus: & nihilominus nativitatem ſuſtinet (ut uſurpem os Epheſynæ Synodi) ex Virgine: ut nihil dicam de nativitate exili & vili, qualem vix pauperrimus experitur.*

XIV. In VITÆ PROGRESSU *ſervilis Illa conditio & infirmitatum, (naturalium tamen, non perſonalium) ſuſceptio* magis *ſe exeruit. Sapientia & ætate crevit Eſai.7.v.16. Luc.2.v.14. in quo abſconditi erant omnes the-*

 *ſauri*

*ſauri ſapientiæ & ſcientiæ Coloſ. 2. v. 3. qui panis vitæ Ioh. 6. v. 33. eſurivit Matth. 4. v. 2. qui qui fons aquæ vitæ Ier. 2. v. 13. ſitivit Matth 11. v. 19. qui omnium robur Pſalm. 18. v. 2. laſſitudinem ſenſit Ioh. 4. v. 6. cui data omnis poteſtas in cœlo & in terra Matth. 28. v. 18. non habet quo caput reclinet Matth. 8. v. 20. qui magiſter erat omnium, miniſtris tamen miniſtrat Iohan. 13. qui dominus omnium, ſervit Matth. 20. v. 28. breviter: ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.*

*XV. Et demum in VITÆ EGRESSU tantum abeſt ut ſervus, ut potius virorum noviſſimus Eſa. 53. v. 3. Vermis & non homo Pſal. 22. v. 7. fuerit.*

*XVI. Videant nunc Papicolæ, qua fronte* Chriſtum ſanctis duriorem & rigidiorem fingere poſſint, *propterea quod hi eaſdem nobiſcum calamitates in carne ſua experti fuerint, illæ vero non item. Vide B. Chemnit. part. 3. Ex. C. T. p. m. 299. Deliberent etiam ſecum Flacij aſſeclæ, quomodo naturam Chriſti humanam, alterius eſſe ſpeciei, ac noſtra eſt, defendere velint.*

*XVII. Quæri hic poteſt*: An, quia tanta Chriſti facta eſt Exinanitio, ut etiam ſervitia ſubire non detrectarit, noſter rectè dici poſſit CONSERVUS? *R. Danæo ſic placet, quô eô melius adorationem carnis*

*In Exam. lib. Chem. de duab. nat*

*Chri-*

*Chriſti poſsit arietare, verum* ἄπο γραφῆς, *cujus ſi apicem pro hac re dederit, dabimus herbam*: ſervum *quia Chriſtum* pro nobis *factum audivimus, eo ipſo â* conſervorum *ordine illum exemptum eſſe putamus.*

*XVIII.* Humilis porrò ad mortem uſq; crucis ſubjectio & obœdientia à Chriſto patri præſtita eſt. *1. In* AGENDO, *dum ſe legi ſubjicit. Gal. 4. v. 4. Circumciditur, Offertur. Luc. 2. Idq; non* pro ſe, *ut Piſcator cum ſuis ſociennis nugatur, ſed* pro nobis *Rom. 5. v. 19.*

*XIX. Deinde in* PATIENDO, *non ſimpliciter mortem, ſed* mortem etiam crucis: *quo referimus* totum paſſionis actum *in quo vivis coloribus Chriſtus vir dolorum Eſai. 53. v. 3. depingitur, cujus* Antecedentia, Media, & Conſequentia, *ſi quis accuratiori trutina penſiculabit, ineffabilem deprehendet Exinanitionem, quam ulterius perſequi in tanta rei luce, loci vero hujus anguſtia non licet.* Auctarium *hujus ſtatus, ſit Quæſtio nobilis*: An Chriſti humana natura in ſtatu etiam Exinanitionis cum λόγῳ omnipræſens & ubiq; fuerit, ſicuti nunc in ſtatu exaltationis præſentiſſimè omnia gubernat?

R. ὁ λόγος *ſemper & ubiq; ſibi ipſi per unionem hypoſtaticam habebat præſentiſſimâ carnem, non autem creaturis, id quod alij efferunt diſtinguendo inter* præſentiam intimam

mam, *quam carni in hoc ſtatu concedunt,* & extimam *quam ſtatui Exaltationis demum tribuunt.*

De ſecundo. XX. *Statum Exinanitionis ſequitur* ſtatus Exaltationis *in quo delineando eodem, quo hactenus, methodi filo utemur:* 1. *Ergo de* Exaltationis ſubjecto. 2. *de* Exaltatione ipſa *paucula quædam chartæ huic illinere conabimur.*

XXI. Subjectum Exaltationis *eſt Chriſtus Ieſus, reſpectu tamen non divinæ, ſed humanæ naturæ, quod noſtrum aſſertum, ſeqq. vallamus rationibus* (1) *quia humiliatio reſpicit humanam naturam E. & Exaltatio, quæ ſe mutuo reſpiciunt* (2) *quia Deitas eſt in ſummo Exaltationis faſtigio Pſalm.* 83. *verſ.* 19. *Dan.* 5. *v.* 21. *Ideoq; nullius exaltationis capax vel indigens Syr.* 42. *v.* 22. (3) *Quia Exaltatio hæc Apoſtolo* χάρισμα *eſt:* Deus *vero, qui omnia ab æterno habet* κατὰ φύσιν, *nihil in tempore accipit* κατὰ χάριν (4) *quia ſi divinæ naturæ Exaltatio contingit, à ſublimiore id factum fuiſſe ſequetur, quod* ἄτοπον.

XXII. *A veritatis ergo aberrant linea, qui Exaltationem hanc de* Perſona excluſis naturis *Gryn. Pſalm.* 110. *vel ſecundum Deitatem* Orthodox. Conſens. *Epiſt. Apol. pag.* 3 *Theod. Beza. conſp. ad demonſt. Hoffm. p.* 77. &

89. vel

89. *vel ſecundum* divinam & humanam naturam ſimul *Kecker: ſyſt. Theol. lib. 3. c. 5. pag. 365. intelligunt*: Nec *ferendi illi, qui ad* mediationis officium *Exaltationem hanc tantum referunt, in veritatis trahendi circum diſcrepantia, quæ Mediationi & Exaltationi intercedit. Vide Hütt. in L. C. p. 191. Mamphraſ. in Erot. in* Art. *viſit. p. 262.* Et hæc de Exaltationis ſubjecto.

*XXIII. EXALTATIO IPSA*, eſt formæ ſervilis abjectio, & plenaria Majeſtatis, (*non Finitæ, ut Calviniani ſomniant, ſed infinitæ*) in primo Incarnationis momento communicatæ, uſurpatio *Pſ. 8. v. 6. Pſalm. 110. v. 7. Actor. 2. v. 35, Luc. 24. v. 16. Epheſ. 1. v. 20. Hebr. 2. v. 6.*

*XXIV.* Diſtinguitur Exaltatio in Jnchoatam & completam: *Ad INCHOATAM referimus* Deſcenſum Chriſti ad Inferos, Reſurrectionem, & Corporis Glorificationem: *Ad* COMPLETAM Aſcenſionem *& ſolennem illam Inaugurationem ſeu Inthroniſationem Chriſti ad perfectam & plenam cœleſtis Imperij uſurpationem, cœli terræq́ꝫ & inprimis Eccleſiæ gubernationem, cui accedet in Die Decretorio Iudicium vivorum & mortuorum Iohan. 5. verſ. 27.*

25. Cum

XXV. Cum hac Exaltatione, & nominis ſupra omne nomen donatione, veritas humanæ naturæ optimè ſtare poteſt: *quod cum in anguſto hoc, cui nos indidimus, circulo explicari non poßit, ablegamus Lectorem ad hemnit: lib. de duab. natur. Chriſt. c. 32. p. 555.*

*XXVI. Sequeſtramus vero hinc errorem Photinianorum, qui Chriſto maximam divinæ gloriæ partem primum poſt Paßionem ſimpliciter ceßiſſe contendunt vide Oſtorodum in Inſtit. Germ. c. 13. Enjedin: in Explic. Phil. 2. conſer. th. 9.*

*De Tertio.* XXVII. *Nec audimus illos, quando cum Lojolitis & Calvinianorum nonnullis* Chriſtum gloriam hanc, qua, abjecta ſervi forma, coronatus eſt, propriè SIBI meruiſſe *ſtatuunt: Aliter enim nos docuit ſervator ipſe Ioh. 8. v. 50. Et hinc inde ſacra pagina dum* Chriſtum pro NOBIS paſſum, mortuum &c. *aſſerit.*

XXVIII. *Reddat te O HOMO, ſtatuum hæc Chriſti conſideratio in VITA HUMILEM, ut idem ſit affectus in te, qui fuit in Chriſto Ieſu, ne criſtas erigas, per inanem gloriam alijs te præferas, ſed HUMILITER de TE ſentias: Vide enim ſis Dominum tuum quomodo ſe humiliet: O TE ergo beatum ſi* faciem *humiliati tui Chriſti aßiduè oculis uſurpaveris,*

*non*

non quidem in linteolo expreſſam Veronicæ cum Papicolis, ſed in codice ſacro ob oculos tibi poſitam Gal. 3. v. 1. cum Chriſticolis, faciem vermis & non viri. Sic enim omnis ſuperbia ex corde tuo exulabit, & tandem aliquando, ut ille, exaltaberis, & ſedebis licet non in Throno Patris, tamen in throno Christi Apo. 3. v. 21.

XXIX. In DOCTRINA CIRCUMSPECTUM, ne circumferaris quovis vento doctrinæ, Judæis fidem tribuas qui propter duplicem jam enucleatum ſtatum, Meſſiam nondum veniſſe ſomniant. Dn. Doct. Franzius diſp. 3. in Aug. Conf. theſ. 90. vel ſi veniſſe concedant, duplicem tamen pro duplici statu faciunt, alterum humilem, alterium glorioſum Galat. de Art. Cathol. Verit. l. 4. c. 2. Cum Calvinianis contra ſtimulum calcitres, quibus Exaltatio carnis Christi ſudes præusta in oculis, quam exinde totis lacertis impugnant, neſcientes, quanti hic homo æſtimandus ſit Eſ. 2. v. 22.

XXX. In CRUCE ANIMOSUM. Ecce enim IMMANUEL tuus VENIT Johan. 16. v. 28. VIDIT Thren. 3. v. 1. VICIT Apoc. 5. v. 5. ne tu, O fidelis Anima, quæ in hoc Miſeriarum Barathrum VENISTI, & dura VIDERE Pſalm. 60. verſ. 5. cogeris, ſuccumbas, ſed tandem VINCAS 1. Corinth. 15. verſ. 27. & per multas tribulationes eas in regnum Cœlorum Actorum. 14. verſ. 21. non

aliter

*aliter enim tibi ipſe diſpoſuit regnum* Luc. 22. v.29. *Eſto ergo fidelis usq; ad finem, milita bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam, & tandem victoriam obtinebis, coronaq; immarceſsibili coronaberis ab eo.*

CUI SOLI GLORIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0017-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0018-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0019-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-810715-p0020-8

GIAS

*ſima Sexta.*

RISTI

NIS ET

NIS,

θρώπῳ

O

MEISNERI

P.P.

*butandum.*

LTERFOT,

*l. horis po-*

*tori.*

Excudebat